



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.1. Ovis errabunda boni Pastoris humeris revecta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

Matth. 7.
1. Pet. 5.

nis, jubemur non esse solliciti, sed omnem nostram sollicitudinem in DEUM projicere, quoniam ipsa est de nobis; quantò id potiùs de divina nobis providentia pollicebitur, cum de bonis agitur ad maniculisq; æternæ vitæ: quippe, quæ ut istis immensum præstabiliora sunt, ita probè perno- rit nimio plus nobis esse necessaria; neq; nos profectò illa bonitas ad ista caduca & peritura, sed ad hæc æterna fructu condiderit, neque pro esca, opinor, aut vestimento nobis quærendo mortuus sit Christus, sed immortalium bonorum fructum suo nobis sanguine promeruerit.

CAPUT IV.

Ex Christi boni Pastoris contemplatione, speciale concipiende fiducie argumentum.

§. I.

Ovis errabunda boni Pastoris humeris reventa.

Afficit me subinde ea quam dicam cogitatio; eandemq; credo pijs mentibus, si eam quidem usurpare voluerint, non inutilem neq; injucundam futuram. Ea autem est hujusmodi.

L. de pud. c.
7. & 10.
Bosius Rom.
subter.

Propositâ mihi ob oculos illâ boni Pastoris effigie, quam ex Tertulliano (qui eam docet suo tempore in sacris calicibus pingi solitam) tum ex priscais subterraneorum in urbe Roma cæmeteriorum monumentis (ubi eandem effigiem pluribus locis invenire est) veteres Christianos constat multum delectatos fuisse: in hujus, inquam, piæ imaginis contemplatione, fingo me ovem illam esse palabundam & perditam, sed à bono Pastore, lacerato vepribus, spinis coronato, sudore undiq; guttisq; sanguineis diffuente, per invia & aspera requisitam, inventam deniq; humerisq; gaudentia impositam ac reventa. Tum

Tum verò plenus fiducia, illis è psalmo verbis ad Patrem coelorum conversus: *Respice*, inquam, Pater optime atq; amantissime, *respice in faciem Christi tui*. Ego pecus illud seductum & erraticum, indignus sum, quem aspicias oculis misericordiae tuae. Sed averfari nequis faciem unigeniti: neq; illum potes placido lumine contueri, quin iisdem oculis me ipse collo circumfusum aspicias. Atque eo aspectu commovebuntur, scio, tibi viscera; dum mansuetissimū divini Pastoris vultum ad me blandè conversum intuerere, ipsumq; benignissimum Pastorem, super ovem sibi dilectam, & tanto quæsitam impendio, prono capite reclinatum & acquiescentem, eamq; stillantibus de sacro vertice cruoris guttis respergentem. Ita propter filium patres serulo, & ovem recipies propter Pastorem.

§. 2.

Ex eodem schemate multiplex fiducia ratio.

ENimverò in hac boni Pastoris figura (quæ in Christo Jesu Salvatore nostro exactè re ipsa impleta est) tria præsertim esse videntur, quæ particulatim considerata, multiplicem nobis fiducia causam suggerant.

Primum: magna illa & sollicita boni Pastoris erga ovem perditam charitas: quippe qui relictis in deserto, & velut neglectis reliquis ovibus, vel unius requirendæ gratiæ, per aspera montium, obscura vallium, in via nemorum, densa dumorum, horrida veprium vagetur, nec cruentatus spinis, sudore perfusus, anhelus cursu, æstu, siti, clamore deficiens, perquirendi studio absistat, donec inveniat eam. Multum enim sibi charam ostendit, quam tanto quærit impendio; quia, ut sanctus ait Augustinus: *si peccatores DEUS non amaret, de celo ad terram non descenderet.*

Deinde: Benigna ejusdem amantissimi Pastoris in inventam denique erroneam ovem indulgentia: quam non satis